



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Vtrum idem accidens numero possit poni in diuersis subiectis realiter
æque immediatè.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

negant accidens spirituale indiuisibile posse poni in subiecto extenso, & diuisibili, quia putant inde securum quod dependeret à pluribus subiectis adequatis. Quæ sequela ex dictis pater esse neganda, si ponatur accidens tale in tali subiecto vilo ex primis tribus modi iam specificatis: sequeretur autem, si poneretur quarto modo, sed sic ipsum poni posse nos non asserimus, sed negamus.

26. Obiicit primo contra primam partem: nullum accidens corporeum potest subiectari in subiecto, in quo non potest subiectari quantitas, quia non est ratio cur alia accidentia corporea possint in tali subiecto subiectari, & quantitas non possit: sed quantitas nequit subiectari in subiecto spirituali: ergo nullum aliud accidens corporeum potest sic subiectari. Probatur minor, quia quantitas debet necessario habere partes extra partes; non haberet vero si poneretur in subiecto spirituali indiuisibili, de quo subiecto loquimur.

Respondeo negando minorem, & ad probationem distinguo maiorem: debet habere partes extra partes entitative ita, vt vna ex illis non sit altera, concedo; ita vt vna ex illis debeat habere subiectum distinctum à subiecto alterius, aut correspondere parti loci, cui altera non correspondet, nego maiorem: & sane id assumere contra nostram conclusionem est directæ petiti principij, quia est assumptio propositionis, quæ expresse negatur in conclusione.

Obiicit secundo: si Angelus v.g. posset recipere in se quantitatem & alia accidentia absoluta corporea, sequeretur quod posset calefieri, sed hoc est absurdum, ergo.

Respondeo concedendo maiorem de potentia absoluta, & negando minorem: fortassis tamen non posset calefieri ab agente creato, quia forte nullum agens creatum potest producere calorem, nisi in subiecto extenso.

Obiicit tertio: quantitas nequit subiectari in eo, cui non potest communicare suum effectum formalem: sed hunc nequit communicare Angelo, quia effectus formalis quantitatis est extendere partes sui subiecti; Angelus autem non habet partes, quæ possint extendi: ergo quantitas nequit ipsi communicare suum effectum formalem.

Respondeo negando minorem: ad cuius probationem dico, extendere partes non esse solum effectum formalem quantitatis, nec etiam necessarium effectum formalem eius sic, vt non possit esse sine illo, etiam in subiecto habente partes extensibiles; nam substantia materialis quantitas posset diuinitus redigi ad punctum, & in tali casu quantitas non extenderet actum partes eius. Itaque in proposito nostro, si quantitas poneretur in Angelo, non tribueret ipsi illum effectum extensionis, sed bene tribueret ipsi seipsum formaliter, quia ipsi met esset inhaerens.

Et si quæras, an in tali casu Angelus esset quantus. **Respondeo**, quod si nihil aliud intelligatur per Quantum, quam habens quantitatem, Angelus esset quantus in illo casu; si vero intelligatur per quantum substantia habens partes quantitative extensas, Angelus in eo casu non esset quantus, nec in hoc potest esse alia quæstio quæ de nomine.

28. Obiicit quarto: calor nequit subiectari in puncto quantitativo: ergo nec in Angelo, aut vlla substantia spirituali indiuisibili. Probatur antecedens, quia punctum caloris sufficere & adæquate replet capacitatem puncti quantitativi: ergo nihil præterea posset in ipso recipi.

Respondeo negando antecedens loquendo de potentia absoluta, & ad probationem distinguo antecedens: capacitatem naturalem ita, vt naturaliter nihil præterea recipere possit caloris, concedo antecedens; capacitatem obedientialem ita, vt nihil præterea supernaturaliter recipere possit, nego antecedens.

Obiicit quinto contra secundam partem: si forma spiritualis posset esse in subiecto corporeo, lapis posset recipere visionem & amorem beatificum, & sic posset beatificari: sed hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur.

Respondeo negando secundam sequelam, quia quamuis visio beatifica, & amor beatificus reciperentur in lapide, non beatificaretur lapis, sicut nec intelligeret, nec amaret; neque enim visio & amor ille habent beatificare formaliter, & immediate alia subiecta, quam intellectum, & voluntatem; cuius ratio dabitur in libris de Anima, quans

do ostenderetur quod lapis non intelligeret, etiam si intellectus poneretur in ipso.

Aduertendum autem hic, quod non admittam absolute visionem posse poni in lapide: quia quamuis forma spiritualis aliqua posset poni in subiecto corporeo, non sequeretur necessario quod qualiter forma posset poni in quolibet subiecto, & est in controuersia particulari, an actus vitales possint poni in alio subiecto, quam in suo proprio, nimirum in illa potentia, cuius sunt actus: quæ controuersia non facit ad præsens, sufficit enim ad conclusionem quod non repugnet alicui formæ spirituali accidentali poni in subiecto corporeo, & quod etiam non repugnet visioni poni in lapide ex ratione spiritualitatis, quamuis repugnet ipsi ex ratione vitalitatis, seu alia particulari, de quo suo loco in libris de Anima.

QVÆSTIO III.

Virum idem accidens numero possit poni in diuersis subiectis realiter æque immediate.

29. Certum est idem numero accidens posse poni in diuersis numero & specie subiectis simul ita, vt in vno ex ipsis immediate subiectetur, in altero mediate, hoc est mediante illo primo subiecto; sic enim albedo ponitur de facto immediate in quantitate, & mediate seu mediante quantitate in substantia. Quæstio est ergo, virum possit poni æque immediate in pluribus subiectis, præsertim quæ sint extra se inuicem, vt verbi gratia vna albedo in hoc & illo pariete, vnus intellectualis habitus in hoc & illo intellectu.

Præterea certum est quod naturaliter id fieri non possit, tum quia nullum est indicium, quod ita fiat, nec potest assignari modus quo naturaliter fieri possit; tum quia colligimus de facto albedinem vnus parietis distingui numero ab albedine alterius parietis ex eo, quod ipsimet parietes distinguantur numero, & sint extra se inuicem.

Confirmatur, quia sicut vnum corpus non potest naturaliter poni in pluribus locis, ita videtur quod vna forma non possit poni naturaliter in pluribus subiectis. Solum ergo est difficultas de potentia absoluta, an scilicet per illam fieri possit vt vnum accidens numero possit poni immediate in pluribus subiectis realiter distinctis, & extra se inuicem positus.

Prima sententia est, id fieri non posse. Hæc tribuitur Scoti in 3. dist. 1. q. 2. n. 4. quem in hoc sensu intelligunt & sequuntur aliqui Scotistæ. Verba Scoti sunt: *Ita impossibile videtur vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duabus materiis; igitur si necessario sequitur infinitas in forma substantiali, si esset in pluribus materiis, necessario sequitur infinitas ex eo, quod vnum accidens esset in multis.*

Confirmatur ex principiis Scoti in eadem quæstione: vna natura nequit assumi à pluribus personis diuinis, aut esse immediate in pluribus suppositis: ergo nec vnum accidens potest esse immediate in pluribus subiectis, à paritate.

Secunda sententia magis communis est, idem numero accidens posse de potentia absoluta poni in diuersis numero subiectis.

CONCLUSIO.

30. Hæc secunda sententia est probabilior. Probatur primo, quia non potest assignari vlla repugnantia: sed quidquid non repugnat, potest per potentiam ordinariam vel absolutam Dei fieri, ergo &c.

Probatur secundo ex dictis conclusionibus præcedentibus, quia accidens spirituale potest esse in pluribus partibus eiusdem subiecti extensi: ergo idem numero accidens potest esse in pluribus subiectis distinctis, etiam non vnitis inter se. Probatur consequentia, quia quod illa plura subiecta, in quibus inest accidens, sint vnita inter se, aut faciant vnum per se integrale, aut non sint sic vnita, nihil prorsus facit ad rem, quantum ad potentiam absolutam, quæ sicut potest se extendere ad ponendum vnum numero accidens in pluribus partibus vnitis, ita etiam potest facere vt sit in pluribus subiectis non vnitis: sicut non solum potest ponere animam in pluribus locis continuis, sed in pluribus etiam discretis.

Vnum numero accidens nequit poni in pluribus subiectis, naturaliter

Quomodo Angelus potest esse quantus.

Vnum numero accidens potest esse in pluribus subiectis, naturaliter

*Probat*ur tertio: quia potest vnum numero Corpus per potentiam absolutam poni in pluribus locis distinctis (& quidem circumscriptive secundum Scotum) ergo potest idem numero accidens poni in pluribus subiectis distinctis, à paritate rationis.

Dices: non esse eandem rationem, quia locatum non dependet à locis, accidens autem dependet à subiectis.

Contra primò: quia accidens potest non dependere à subiectis, si Deus velit supplere concursum subiecti, ergo saltem in tali casu posset poni in pluribus subiectis sine eo quod dependeret ab illis, quemadmodum potest poni corpus in pluribus locis, à quibus non dependet.

Contra secundò: quia quod accidens dependeat à subiectis, non impedit quominus possit poni in pluribus subiectis, nisi dependeat totaliter & adæquate à quolibet ex illis pluribus: sed non debet dependere sic necessarîo, potest enim fieri quod à quolibet ex illis partialiter tantum & inadæquate dependeat: ergo tunc saltem posset poni in pluribus subiectis, quamvis non posset poni in ipsis cum dependentia adæquata ad quodlibet ex illis, in principiis Scoti, qui negat vnum effectum dependere posse à pluribus causis dæquatis.

31. *Obiicies primò* Scotum citatum pro prima sententia. *Respondeo* Scotum eo loci non dicere absolute, quod vna forma substantialis non possit esse in pluribus materiis; neque etiam dicere absolute, quod eodem modo implicat vnam formam substantialem esse in pluribus materiis, & vnam formam accidentalem in pluribus subiectis; sed solum argumentatur contra responsionem quandam Varronis: quod ut intelligatur clarissime, proponam hic difficultatem, cui respondet Varro, & ipsius responsionem. Itaque contra sententiam Varronis, & D. Thomæ tenentium quod vna natura possit assumi & personari simul tribus personalitatibus divinis, occurrit ista hac difficultas, quod ex eo quod natura divina immediate supponitur tribus personalitatibus divinis, colligatur bene eam esse infinitam: ergo si vna natura creata esset in tribus personis divinis, illa natura esset infinita, sed hoc est absurdum: ergo nequit vna natura creata sic assumi.

Huic difficultati respondet Varro, quod non ex eo quod natura divina supponitur tribus personalitatibus, colligatur eam esse infinitam; sed ex eo, quod sit identificata illis & propria ipsis: natura autem assumpta non esset identificata ipsis, nec propria, sed adventitia, seu accidentalis; unde non sequeretur infinitas huius ex illa assumptione.

32. *Contra hanc responsionem* adducit *Doctus* doctrinam præmissam, & ostendit per eam, quod perinde est naturam esse accidentalem seu substantialem & propriam, quantum ad hoc quod colligi possit eius infinitas ex eo quod esset in pluribus, & dicit quod æquè sequatur infinitas formæ substantialis ex eo quod esset in pluribus materiis, & formæ accidentalis ex eo quod esset in pluribus subiectis, & consequenter, quod prædicta responsio, quæ ponit disparitatem inter naturam divinam & creatam, quantum ad personationem per plures personalitates, in hoc quod vna sit propria, & altera adventitia, seu accidentalis, ad nihil deserviat. Ex quo patet, quod *Scotus* non dicat absolute formam substantialem non posse esse in pluribus materiis, sed dicit quod tam bene sequeretur infinitas formæ accidentalis ex eo quod esset in pluribus subiectis, quam sequeretur infinitas formæ substantialis ex eo quod esset in pluribus materiis. Quod sane mihi videtur directum intentum Scoti eo loci; neque ad impugnationem istius responsionis requirebatur, quod absolute assereret formam substantialem non posse esse in pluribus materiis, sed sufficiebat quod si sequeretur ex hoc infinitas eius, similiter sequeretur ex eo, quod forma accidentalis esset in pluribus subiectis, infinitas eius.

Quantum autem ad rei veritatem, nisi sequatur aliud inconveniens, aut repugnantia ex eo, quod forma substantialis possit esse in pluribus materiis simul, præterquam

quod esset infinita, existimo formam substantialem posse esse in pluribus materiis, quia reuera non sequeretur ex hoc præcise eam esse infinitam: an autem sequatur alia repugnantia, dicemus *lib. 1. Physicorum*, & modo satis sit dicere, quod si non sequatur alia repugnantia, ex hoc, quam sequitur ex eo, quod forma accidentalis possit poni in diuersis subiectis, quod idem sit dicendum de utraque; si vero sequatur aliqua particularis repugnantia ex inexistencia vnius formæ substantialis in pluribus materiis, tum non erit idem dicendum de ipsa, atque de formæ accidentalis inexistencia in pluribus subiectis, quia reuera ex hac nulla sequitur repugnantia.

33. *Ad confirmationem* illam ex doctrina Scoti, nimirum quod secundum ipsum repugnet eandem naturam assumi à pluribus personis immediate: ergo repugnat idem accidens subiectari simul in pluribus subiectis; *Respondeo* negandam esse consequentiam in casu, quo accidens poneretur in pluribus subiectis, sine dependentia vlla, siue cum dependentia partiali à quolibet ex illis: & ratio disparitatis desumenda est ex ipsomet principio Scoti, quo probat eandem naturam non posse assumi à pluribus personis, quia scilicet inde sequeretur, quod dependeret à qualibet ex illis, & non dependeret; ex hoc enim principio sequitur quod non esset idem dicendum de accidente quantum ad existendum pluribus subiectis, & de natura quantum ad assumptionem à pluribus personis, nisi accidens dependeret à pluribus subiectis, & etiam nisi dependeret adæquate à quolibet ex illis, quo modo non asserimus posse esse in pluribus subiectis. An autem natura humana possit ita assumi à pluribus personis divinis, ut non dependeret adæquate ab vlla ex illis, sed partialiter tantum, examinandum remitto ad materiam de Incarnatione.

DISPUTATIO XIV.

DE QUANTITATE.

PRIVS egit Philosophus de prædicamento Quantitatis, quam de vilo alio accidentis prædicamento, non quod ceteris sit perfectior, quia ostendimus postea Qualitatem esse Quantitate perfectiorem, sed quod immediate subiectetur in substantia, & quod ex ipsis qualitatibus plurimæ ipsi subiectentur. Quod autem ad rem ipsam attinet, posset sine dubio de qualitate prius agi: sed reuera parum refert quo ordine de his prædicamentis tractetur, modo tractetur de singulis sufficienter.

QUESTIO I.

Quid sit Quantitas et sic.

1. **Q**uantitas est duplex: vna *virtutis*, quæ est perfectio rei, secundum quam vna res dicitur magis, vel minus perfecta quam alia res, seu maioris, vel minoris, aut æqualis perfectionis cum alia re, competique non creaturis tantum, sed ipsi etiam Creatori, qui propterea in sacra pagina sæpe *Magnus* appellatur: De hac autem modo non agimus, quia non spectat ad aliquod vnum prædicamentum, sed vagatur per omnia, cum vnaquæque res habeat sibi identificatam suam propriam perfectionem, siue sit substantia siue accidens, præsertim absolutum: quod addo, quia aliqui sunt, qui dicunt relationes nullam dicere perfectionem, & quidem *Scotista* fere omnes id tenent de relationibus divinis, de quo suo loco. Alia est *Quantitas molis*, solis corporibus conveniens, ratione cuius vnum corpus dicitur esse maius, aut minus alio corpore, non virtute, sed extensione, aut numero partium integralium; sicut dicitur vnus mons esse maior vno homine, quo tamen minor est virtute & perfectione. De hac autem quantitate molis agimus in hac disputatione, & in hac quaestione definitionem & rationem eius formalem inuestigamus iuxta mentem Philosophi.

CON